


84


Ex leg.° D.ⁿⁱ Guelfi Corr.
Narcicci de Marinis.

ALEXANDRI SOPHISTÆ DE FIGVRIS SENTENTIARVM AC ELOCVTIONVM.

NATALE DE COMITIBVS
Veneto Interprete.







CVM PRIVILEGIO.

Venetijs apud Sanctum Guerrinum.
M D LVII.

CLARISSIMO AC SAPIENTISSIMO SENATORI VENETO MARCO ANTONIO AMVLIO.

NATALIS DE COMITIBVS.



EA semper fuit ea in te, et beneuolentia, et obseruantia MARCE Antoni Sapientissime, ut ex quo primum te, uirtutesq; tuas, et eximias animi tui dotes cognoscere cœpi, summo studio semper excogitauerim, atq; quæsiuerim aliquam mihi dari facultatem, qua tibi in primis, deinde reliquis omnibus hunc meum in te

 ani-

animum patefacere possem. Verum cum nulla unquam satis idonea sese obtulerit occasio, non potui diutius hoc meum in te studium, hunc meum amorem, hanc meam beneuolentiam tibi obscuram esse perferre. Cum igitur nuper grauissimus autor Alexander Sophista, qui de sententiarum elocutionumq; figuris doctissime scripsit, mihi occurrisset, isq; latinis adhuc esset ignotus, eum latinum facere decreui, ac tuo nomini potissimum consecrare. Non ea quidem de causa q; tibi hanc ipsam figurarum cognitionem necessarium esse censeam, sed ut aliquod habeas amoris obseruantiæq; erga te meæ signum. Nã quis te grauior, non modo rectissime gerendis

rendis magistratibus, rebusq; publicis scitè tractandis, in quarum cognitionem semper uel à puero toto ingenio, totisq; uiribus incubuisti? quis te elegantior? quis dicendo ob figurarum uarietatẽ iucundior? quippe cùm non sine magna omnium admiratione in consultationibus minus scita nonnullorum consilia summa cum grauitate sæpius refelleris, tuaq; rectissima esse demonstraueris; cum ita & obieris, & perfunctus sis legationibus, ut non uniuerso modò senatui, uerumetiam omnium hominum opinioni magnopere satisfeceris. Ita sanè efficietur ut ob hunc meum in te amorem, eloquentiæ studiosi plurimum tibi debeãt, qui non mediocrem utilitatem

ex hoc libello sunt percepturi. Est enim ea figurarum cognitio, sine qua non modo nullas uires habens constitueretur oratio, uerumetiam quæ molestissima futura esset, & odiosissimam satietatē auditoribus inducere. Nam ueluti si lineamēta uel peritissimi pictoris manu inducta uideamus, uel nullā, uel perexiguam certè percipiemus uoluptatem; quòd si colores ab ipso artifice postea superinducantur, tunc et pulcherrima erit ipsa figura; & summam, diuinamq; opificis artem patefaciet. Quisquis igitur cognouerit quam uim figuræ appellatæ in orationibus obtineant, & cuiusmodi sint ea quæ dico, & quam utilitatem capturi sint studiosi ex hoc libello

libello facile percipiet; cum præ-
sertim nullus sit, uel Græcus, uel
Latinus autor, qui doctius, qui a-
pertius, qui accuratius de his ipsis
figuris scripserit. Sed de his satis;
illud à te etiam atq; etiam pro sum
ma tua in omnes humanitate peto
Marce Antoni Sapientissime,
ut nostrum hoc exiguum munus, uel
nostrum potius beneuolentissimum
in te animum perbenignè com-
plectare.

ALEXANDRI SOPHISTAE DE FIGVRIS SENTENTIARVM.

Natale de Comitibus Veneto interprete.

Differentia inter figuras & tropos.



ISCIPLINA *ea quæ ad orationis figuras attinet, non est profectò uulgaris; siquidem illæ sunt admodum difficiles, his quidem infinitas esse figuras dicentibus, illis uerò non infinitas quidem, sed multas atq; non facile posse comprendi. Præterea non facile esse inquiunt figuram à tropo sententiæ & elocutionis inuicẽ dignoscere. Veruntamen nos quantum studio consequi poterimus, de his tradere enitemur: atq; ea etiam his adiungemus, quæ de ipsis à diligentißimis scri-*

ptoribus memoriæ tradita fuerunt, easq; quoad fieri poterit oratione inuicem separabimus: eas inquam quæ sunt sententiæ à figuris elocutionum: seorsumq; sententiæ figuras, & elocutionum collocabimus. Tum differentiam prius exponemus, quæ uniuersè est inter figuras & tropos, et quam habeant inuicem disiunctionem eæ quæ sententiæ sunt & elocutionis, tum ad orationem de ipsis conuertemur. Differt igitur tropus à figura, quoniam tropus uirtus fit circa unum nomen, uelut uitium barbarismus. Figura uerò est ornatus circa plura quàm circa nomen, uelut solœcismus est incõcinnitas: ita ut eadem sit differentia inter barbarismum ac solœcismum, uelut in uitio etiam tropi ad figuram, ut in orationis uirtute. Nam uelut in barbarismo nomen corrigimus, at in solœcismo nominum compositionem, sic tropum in consuetudinem nominis transferentes, in nomen transpositionem faciemus: figuram uerò in id, quod secundum naturam est, uendicantes compositionem commouebimus. Differt hoc pacto præterea tropus à figura, quoniam tropus alienum nomen pro proprio, trãslationem enim sumit ex proprio, ut, Verticem montis, Pedem extremum Idæ: figura proprium rei nomen seruat positum quodammodo atq; elocutionis uirtute formatum: nam propria elocutione ita sumpta,

absoluunt:

absoluunt: sicuti se hoc habet; ad te ipsum uocas, ad leges uocas. His enim utrisq;, uel altero certè, figura differt à tropo. Differt sententiæ figura ab elocutionis figura, quoniam elocutionis figura remota elocutione, quæ continet, perditur, uelut; sed uel hi accersendi, uel alium non minorem exercitum opus est mittere: deperit figura annominatio: Sinautem figuræ sententiæ aliquis nomina remouerit, aliisq; nominibus proferat, eadem nihilominus figura permanebit. Similiter uerò si moueatur series, uel adimatur, aut addatur, dissoluitur elocutionis figura: nam ad te ipsum uocas, siquis ita proferat; uocas ad te ipsum, & leges; figura periit. & hoc, & mihi nequis instrepat, est correctio: quod si hoc ita protulisset; uerũ nequis mihi tumultũ faciat, quod ita sit; indigeo quiete, tolerate me: eadem permanet figura, nihil enim passa est sententia mutatis nominibus, huiusmodi in his igitur est differentia.

καὶ μοι μὴ θορυβήσοντις.

Definitio figure. Cap. I.

EST *autem figura orationis commutatio in melius, uel secundum elocutionem, uel sententiam sine tropo: quòd quidem commutatio, patet; quòd non in rectum profertur oratio, idcirco nascitur figura, cui in melius adiacet, quo-*

 niam

niam solœcismus etiã cõmutatio est orationis, sed in peius. Vt igitur figuræ solœcismiq; differentia pateat idcirco adiacet in melius, adest sine tropo; quoniam tropus etiam commutatio est orationis secundum elocutionem: est.n. hæc definitio utrisq; figuris communis elocutionis scilicet & sẽtẽtiæ: sunt tamen nõnulli, qui seorsum utranq; figurã definiant, ac sententiæ quidẽ figurã hoc pacto; figura est sensus conformatio, quæ illam quæ est secundum naturam necessariam sententiam ad utilius cõfingit, at elocutionis figura, usus gratia. Huiusmodi *est igitur opinio communis figuræ, sententiæ scilicet, & elocutionis.* Verum *prius de figuris sententiæ pauca prædicentes disseramus, contra eos, qui illas de medio tollere omnino conabantur.* Dicunt *enim nonnulli figuram sententiæ nihil habere proprium, neq; facile esse orationem nõ figuratam inuenire: atq; hoc ita se habere necessariò, est enim oratio ex animi formatione, cuius gratia, & formæ inuentæ sunt, & affectus, atq; motus omnino prolati. Animus cũ sit immobilis plurimas orationis percipit formationes, orationis gratiam definiens: admonens, consulens, atq; alia patiens omnino, quæ circa animum solent acidere, sudans, ita ut oratio ex animi imitatione unam aliquã prorsus habeat figuram.* Licet *illud nobis ad hæc in primis respondere*

ſpondere, quòd ſi ſenſa non eſſent, hæc quidē ſecundum naturam, illa uerò formata, non differrent oratores à uulgo, neque inter ſe profectò, cum hæc hi quidem ſimplicius, ac ſine aliquo ornatu proferant in oratione, alij uerò non ſine ornatu. Manifeſtum eſt ſanè quòd orator à populari differt, ob figurarum confictionem: oratores item ab oratoribus, cum alii breuiter & minus opportunè figuris utantur, alii & plurimum, & peropportunè: huc illud addi poſſet præterea quòd animus ſemper ex neceßitate formatur. Sunt ſimiliter animi motus aliqui naturales, aliqui præter naturam, & cum conſtiterit, & cum cogitarit, et cum in affectibus uerſabitur: ex quo orationes ſunt affectibus plenæ, ſic etiam oratio, uel eſt ſecundum naturā, uel ſecundum conſuetudinem figurata, quam nondum figuram eſſe dicimus: eſt enim alia præter has oratio, quam figuratam nominamus. Præterea hoc etiam aliquis traderet, quòd omnis oratio propriam quandam figuram habet ſecundum naturam: uerum ciuilis atq; hiſtorica non eſt ſecundum naturam, ſed ſecundum illius imitationem. Atque dictorum ſignum eſt huiuſmodi: eſt oratio quædam naturalis retractionem animi quandam patefaciens: ut; quam incedam, hanc ne, an illam? hæc nondum figuram habere dicimus: quamobrem? quia ſecundum naturam

proferuntur, ac uerè is dubitat, qui dicit. Est alia oratiò ad huius imitationem facta, quæ & ipsa animi habet retractionem, hoc pacto: num de Græcis malitiam, uel dementiam, uel hæc ambo dicere oporteat: hanc orationem figuram habere dicimus: non enim dubitat dicens, sed se dubitare fingit, dubitantemq; imitatur, ex rectoq; dicere deuitat. Hæc ea sunt, quæ aliquis in eos dicere posset, qui figuras sententiæ prorsus auferre conabantur: quòd etsi omnis oratio propriam habet figuram, & naturalem; at ad illius similitudinem prouidū esse aliquē, sermonemq; aliquem effingere perpulchrum, quem nullus confictum esse dixerit. Hūc modum nos egregiè figuram appellamus, atque nobis etiam de hac proposita nunc est consideratio, non autem de omni ea oratione, quæ quouis modo fuerit figurata, nō tamē propriæ sunt figuræ orationis naturales, et propriæ peculiaresq; artificiosæ, cuius rei illud est argumētum, q, omnis figura hoc ipsum, de quo dicimus, ad id, quod est ex illius natura, traducere nititur, in quibusdā apertißimè patet, uelut in ironia, allegoria, excessu: in nonnullis item nō facile perspicitur, uelut in interrogatione, quæsito, dubitatione. Hæc in eos dici poterunt etiam, qui figuras elocutionis è medio ferre conantur, uelut omnis elocutionis compositione propriam quādam figuram continente,

tinente, ac nihil sit egregium, aut secundum formationem. Quòd igitur formatio differat oratoria à populari, dicere sanè cōceditur: quodq; oratores oratoribus melius dicant, quòd propriæ sunt figuræ secundum naturam compositionis elocutionis, & quæ ab his fiunt ex imitatione, secundum artem oratorum, tum quòd figuræ se habent elocutionis ad transferendum hæc quidem commodius et facilius, illa uerò difficilius. His *ita perspectis rursus cum de usu quæm præbent figuræ disseruerimus, de ipsis postea uerba faciemus:* Est *igitur multiplex figurarum usus, nam potest uel rerum intensionē patefacere, uelut hæc se habent; tu uir grauis, aliosq; contemnens. & rursus; mihi uerò quantum siue quis existimare uoluerit insaniam, siue ambitionem: nam cum ex ironia potius quā ex recto diceretur, acuta est oratio.* Tum *ex cō silio & dissolutione ex contrarijs; nonne in memoriam reuocatis uerba illius uerisimilia ac scelesta? &, nonne* Thessalos *desciscere fecisti? tu enim si ad pagum accedas, ubi est periculū.* Præbet *boni etiam moris imaginem, ut* Aeschines; *nunquid mihi ueniam concedetis, si ipsum cinædum dixero? ac neque puro corpore uel ex ea parte, unde uocem emittit? & quæ sequuntur.* Videtur *enim ijs erubescere quæ dicturus est: illud etiam consequimur per figuras ut ex*

tempore,

tempore, non autem ex apparatu, dicere uideamur, ut Demosthenes*; nam quæ nobis igitur reliqua est ratio? Vel sic; parũ defuit quin hoc mihi ex memoria exciderit: hæc enim imaginem præbent, quòd ex tempore dixerimus. Præterea uarietate quadam figuræ inspergunt orationem, ne ipsa uniformis oratio uideatur. Oportet autem uoluptatem aucupari in oratione ac uarietatem unà cum utilitate, idq; in iudiciali oratione præsertim: quarum figurarum exempla, quæ huiusmodi efficiant orationem, multiplicia sunt apud* Demosthenem *in oratione de* Corona*, & in oratione de male gesta legatione: nam cum sæpius de republica loquatur simpliciter & multifariã, ac uariè, orationem confingere non præ se fert.* Tum *rursus de captiuorum solutione mentionem faciens, magis est continuus: non.n. de ijs orationem fecit, rem ipsam commutans uarieq; dicens.* Atq; *hæc sufficiant: nunc iam figuras quasdam sententiæ dicamus.*

De præcorrectione, siue προδιορθώσεως. Cap. II.

PRAECORRECTIO *est cum aliquid huiusmodi dicturi sumus, quod aliqua indigeat præparatione, ita ut auditor id non molestè ferat,*

rat, atq; ipsum præparamus: uelut id se habet Demosthenis;*ad ea accedo, quæ mihi gesta sunt: neque quispiam existimet à scriptura meam abhorrere orationem, si in res Græcas, & rationes incidero.* Ipse *idem, nam quæso per deos cum optimi gratia dico, concedatur mihi libera dicendi facultas: sunt enim complura apud ipsum huiusce figuræ exempla.*

De subsequenti correctione siue ἐπιδιορθώσεως. Cap. III.

SVBSEQVENS *correctio eandem præbet utilitatem, quam etiam præcorrectio, cum ab ea ordine differat: nam quod in præcorrectione prædicebamus præparantes auditorem, hoc ipsum facimus in subsequenti correctione; nam auditorem delinimus ob dicta, ne grauiter nos ferat: sicut rursus* Demosthenes *cũ multa prædixisset, infert; à uobis peto uiri* Athe*nienses, uosque obsecro ut memoria teneatis per totam cõtrouersiam, quam accusante* Aeschine, *nihil præter accusationem, neq; aliam quidem ullam orationem habui, cum is omnibus conuitijs, omnnibusq; causis usus sit, necesse fuit me contra singula dicta breuibus defendere.*

De amphicorrectione, siue ἀμφιδιορθώσεως. Cap. IIII.

COMPONITVR *hæc figura, mistaq; est ex præcorrectione & ex correctione subsequenti, & ante & postea dicendo, cum orantes sermonem tutum facimus: fit autem hoc non in leuioribus, sed in ijs, quæ magnopere prudentia indigent, uelut siquis dixerit, ego quidem dicam, neque ullus insuauiter audiet, quod dicetur, si uerum esse uideatur: magnis præmijs me dignum esse existimo, ob res à me gestas: neque quenquam uestrum magnopere has orationes cum omni dicendi libertate grauiter laturum existimo, si cum maxima fecerim, dicendo me maximis præmijs dignum esse demonstrauero.* Et *uelut id se habet* Demosthenis; *si enim qualis ego apud uos secundum meum ordinem, unus uir in singulis* Græciæ *ciuitatibus esset, uel potius si uirum unum* Arcadia, *& unũ haberet* Thessalia, *qui eadẽ quæ ego, cognosceret: nam cum dixerit secundum meum ordinem, omne prorsus odium deleuit.* Atq; *hoc, si unum potius, quod cum uideatur submißius dictum, correctum est.*

De præoccupatione siue προκαταλήψεως. Cap. V.

FIT

FIT *præocupatio ubi præoccupamus, & præripimus ea, quæ aduersarij erant dicturi, siue etiam quæ auditores contra nos suspicabantur: siue rationem, quam aduersarij se firmißimam contra nos prolaturos arbitrabantur, atque quam aliquid firmum contra nos habere suspicabantur iudices, hanc declaratione quadã soluimus: uelut si dicat aliquis; quoniam huic rationi maximè confidis, nunc demonstrare aggrediar uel hanc rationem multò reliquis esse infirmiorem. & uelut Aeschines; ad insitam rationem, quam Demosthenes proferebat.*

De subtractione siue ὑπεξαιρέσεως.
Cap. VI.

CONSONA *est & affinis hæc figura, ut aiunt, superioribus, at magis fidem persona hoc modo consequitur, quæ sit subtracta: tũ reliquũ genus præferimus de quo sit oratio: sicut siquis dicat; post deos Aristogitonis ab hominibus. Vel sic; Iuppiter omnibus quidẽ dominatur, ego aũt impero hominibus; et rursus si singula Apollini de musica, uel certè ut Homericum;*

Cum primis pugnare uiris mẽs ipsa refugit,
Hercule & Euryto.

Nam eorum qui optimi omnium iudicio existimantur subtractio, credibilius id efficit, quod significatur.

De causæ redditione, siue αἰτιολογίας.
Cap. VII.

EST causæ redditio, ubi quidpiam addimus ad manifestius ipsum efficiẽdum, causamq́; reddimus, ut inquit Demosthenes; siquis aliquẽ in certaminibus occidisset, hunc determinauit legislator non inferre iniuriam: quamobrem? quia non quod accidisset spectauit, sed agentis uoluntatem: quæ est ut uiuentem uinceret, nõ ut occideret, & quæ sequuntur.

De coaceruatione, siue συναθροισμοῦ.
Cap. VIII.

COACERVATIO uerò est rerum gestarum accumulatio in unũ caput, siue rerum quæ fieri potuerint, ut inquit Demosthenes: sed hic est ille qui sibi Eubœam uendicauit, qui propugnaculum in Atticam præparauit, Megara adortus est, Oræum cepit, situm effodit, Philistidem tyrannum in Oræo constituit, Clitarchumq́; in Eretria, & Hellespontum sibi subegit, obsedit Byzãtium, Græcasq́; ciuitates, hos quidem interimens, in quas reduxit profugos: hæc cum fecerit fœdera etiam prætergressus est, pacemq́; soluit; aut nequaquam.

De continuatione, siue ἐπιμονῆς. Cap. IX.

CONTINVATIO *est, uelut nomen ipsum significat, diuturna in eadem sententia commoratio cũ amplificatione*. Euripides; *sed me foris seruauit, adest mihi nutrix mater, soror, serna, anchora, tectum*. Et *uelut* Demosthenes, *execrandi* Thessali, *& stupidi* Thebani *amicum, beneficumq́; & seruatorem* Philippum *existimarũt: omnia is illis erat*. Tum *rursus; quare ab inimico ieiuno mane iniuria, at non nino talia faciente coram multis & ciuibus & externis iniuriam passus sum. & sicut poeta;*

Vtq; pater charũ natum complectitur olim,
Post annũ decimũ lõginquo ex orbe reuersũ.
Inter opes multas, seniori quæ unica proles.

De rerum tenuium disceptatione, siue λεπτολογίας. Cap. X.

RERVM *tenuium disceptatio est ubi in singulis ijs, quæ accidunt, aut acciderunt, exactam & minutam diligentiam adhibemus, uelut apud* Menandrum,

Non hæc imagines uiri per Palladem
Habeo simili conferre cum facto ut queam.

Mecum requirens quid cito strobilus ferat.
Nam donec ille uertitur, uenit, capit,
Eiecit, æuum fit, sed est immersio
Certè in mari tenere spiritum: & simul
Dixisse seruator rudentes Iuppiter
Tene: alteram expectare, rursus alteram
Magnam procellam, naufragium si ceperit.
Ego semel attingens nisi tu amaueris
In imo.

Nunc enim minora facta per cogitationem, ac neq; in suspicionem oratione diligenter perueni re possunt, & in tenue. Satis exactè poeta etiam in diligentiorem sententiam inquiens ad ipsum; Aegioche. Atq; secundum ipsum suum affectum celerius auxit, quem demonstrauit ex tenui eorum descriptione, tum hæc similiter se habent; uos etiã Athenienses salutis spem habetis in eo, quòd cum celeriter uestri exercitus dux enauigauerit, loca occupauerit peropportuna. Hic uerò ut nonnullis iußit, familiaribus procurato ribus præfecit, mulieremq; rerum domesticarũ complexus est, ac filios charos dextera apprehendit, exiuit è ciuitate, ad portum uenit, annonam in nauim comportauit, soluit retinacula, anchoras excepit, nesciebãtur hostes peropportuna loca occupasse. Habet autem figura incrementum ubi uelocitatem, tarditatemúe demonstrare eruitimur, uel celeritatem apertam

ex oppositione uolumus demonstrare, uelut Menander.

De fictione personarum, siue προσωποποιίας. Cap. XI.

PERSONAE *uerò fictio, formatio est personæ, siue quæ non fuerit inquam à principio, aut quæ fuerit quidem, non tamen adhuc existat. Huius quidem* Demosthenis *extat exemplum; præsens sanè occasio* Athenienses *uocem emittit ferè inquiens: nam non existentem personam ipsam inducit occasionem. Secundæ exemplum est apud* Aeschinem*, ubi sub finem iam orationis patronos uocat, communicantesq; secũ munerum corruptionem consolatur; nam in suggesto aduersarios uidere fingit* Solonẽ*, qui rẽpublicam optimis legibus ornauit,* Aristidem*, qui uectigalia constituit* Græcos *interrogare, an nõ erubescitis? quoniam patres uestri* Arithmium Zeletem*, & quæ sequuntur.*

De resumptione, siue ἐπανακλήψεως. Cap. XII.

RESVMPTIO *est ubi secundum plures uoces repetimus, ut hoc se habet; sed non est quo pacto errauerit: & illud* Homericum; *huic*

opponor

opponor ego. & ; si igni manus habet similes. hæc enim resumuntur nulla particula interposita inter ipsa. Accidit aliquando, ut ipsa nomina repetantur, sed non statim, at quædam media inijciantur, uelut hoc se habet; erat aliquando, erat uiri Athenienses illud in multorum animis: non enim uult Philippus ciuitatem subigere. Cuiusmodi illud est etiam Aeschinis; optima est Athenienses, optima rerum publicarum custodia: & illud Homericum;

Verũ hic Aethiopes lõginquos nuper adiuit,
Aethiopes terræ extrema regione locatos.

Sæpius eadem ac sæpius repetuntur: uelut etiã Demosthenes; nam & amicitiam & familiaritatem nunc etiam dixit cum dissereret, quomodo Alexandri capiens quid: patet autem quoties repetitum est idem nomen: hoc nonnulli duplicationem esse propriè contendunt, ubi quod secũdo loco dictũ sit incœperit à fine præcedentis scilicet. uelut Sophocles; ô Charissime,

Vt perdidisti me caput fraternum, & in
Oraculo nunc me petis Arcadia.
Profectò non dabo, dabo terram quidem.

sed uidetur magis esse poeticum.

De relatione, siue ἐπαναφορᾶς.
Cap. XIII.

RELATIO *est cum ab eodem caso,*

duo

duo siue plura membra incæperint, uelut apud Demosthenem: *siue ubi sæpius nomen assumitur in membrorum principio & ambituum, atque uel ipsum nominat, uel nomē quod æquipolleat.* Ipsum *quidem ut illud* Demosthenis; *quid caluniaris miser? quid uerba facis? quid te ipsum nō purgas elleboro? uelut etiam illud* Homericum; Nereus *te ex* Media *duxit,* Nereus Aglaia *satus.* Aequipollens *hoc pacto; hic prorsus debilis, hæc tota calamitas.* Hic *enim & fœmineus articulus et masculinus æquipollet ad rē.* Aequi *pollēs ita ut siquis dicat; dedi ciuitati pecuniā, præbui socios, concessi arma. atq; uelut ipsum muneribus corruptum consolaretur, fingebat se uidere in suggesto aduersarios,* Solonē *quidem qui optimis legibus democratiam ornauerat,* Aristidem *qui statuerat uectigalia,* Græcos *interrogantem an non erubescitis? quoniā patres uestri* Arithmium Zeletem, *& quæ sequuntur.*

ὁ παντα- γάλκις οὗ τος, ἡ πᾶ σα βλάβ

De morum fictione, siue ἠθο- ποιίας. Cap. XIIII.

EST *autem fictio morum ubi personas existentes ponentes, ipsi quadam oratione ambimus, ut fide digniores ipsi uideantur: uel si ipsam nos dicamus, ut* Aeschines *cōtra* Demosthenem; *nullo pacto in nos ipsos sophistæ risum, ac*

moram præbuerit, sed existimat ipsum ingressum in domum uidere inter adolescẽtulorũ cætũ affectantẽ laudẽ, negotium scitè percurrentem, mox in multitudinem cum accesserit coronam cepisse, & quæ sequuntur. Ex *causis etiam apud* Timarchum *insurgere fecit, cum in accusatorem retulisset &* Phocenses.

De reticentia, siue ἀποσιωπήσεως. Cap. XV.

RETICENTIA *est oratio, quæ quod tacetur, intendit; aut cognitum relinquit; uel silet id, quod dictu est turpe.* Intendit *quidem quod tacetur ut* Demosthenes; *cui mater erat quidem urbana, pater uerò non dicam unde.* Non.*n. plura perquirit quam sint necessaria: at sic id relinquit quod est cognitum. & rursus; tot me* Atheniẽses *dicere uereri*. Omnibus.*n. patet, primum quòd insuaue quiddam prætermittit, postea magis speciem præ se fert, quòduel ignominiam dicturus erat, uel aliquid huiusmodi.* Tacetur *turpe, ut* Euripides; *uel pedibus circumijciens ignaro uelum extendit, quorum causa, uirginem dicere non decet.*

De percursione, siue ἐπιτροχασμοῦ. Cap. XVI.

PER-

PERCVRSIO *est figura, & coaceruationi, & continuationi adnexa.* Differt *uerò ab illis, quoniam quæ multum distiterint cõgregat, probabilitatisq́; gratia dicitur, ut hoc se habet* Demosthenis; *uerum in* Hellespontum *accedit, prius iuit in* Ambraciam, Elim *tantam ciuitatem habet in* Peloponneso, *priusq́;* Megaris *tetendit insidias.*

De ironia. Cap. XVII

IRONIA *oratio est quæ contrarium dicere fingitur, uelut* Euripides *fecit in* Medea;

Tu me beatam pluribus Græcis *magis*
Fecisti, ego admirabilem contrà uirum
Habeo misella te, grauemq́;, per deos.

Et *quæ sequuntur. sic etiam* Demosthenes; *patet enim quòd tu doles* Thebanorũ *infortunijs, cum in* Bœotia *habeas prædia: ego uerò lætor, statimq́; ab eo petebar, qui hæc fecerat. Sũt quatuor ironiæ formæ, urbanitas, subsannatio, carcasinus, irrisio.*

ἀστεϊσμός
μυκτηρισμός.
σαρκασμός.
χλευασμός.

De præteritione, siue παραλείψεως. Ca. XVIII.

EST *autem præteritio ubi aliquid prætermittere uidemur, idq́; nihilominus dicimus,*

 uelut

uelut Demosthenes;*uerum quid opus erat facere? te enim iam percunctor, his omnibus præter missis*, Amphipoli, Pydna, Potidæa;*quarum memoriam minime nunc facio, Serini uerò*, Dorisci, Tarethiq; *deuastatio,nec satis scio an fuerit.* Tum *rursus;quæcūq; enim in choros ducentes fecit, ut nobis esset impedimento quò dimitterentur à stipendio, tum proponens ac ipsum in* Dionysia *decernens designari procuratorē, prætereo. & rursus;lasciuiam* Mediæ,*ac iniurias,et reliqua flagitia, cū infinita propè sint, prætermitto:neq; hoc fanè dico,neq; hoc inquā, neq; quòd hic iniuria affecit ciuitatē.tum alibi; neq; illud dicam quòd nūtios male affecit,quòd transfugit in* Siciliam; *quæ cum infinita sint, horum omnium sit obliuio.*

De conuersione, siue ἀποστροφῆς. Cap. XIX.

CONVERSIO *uerò est cum aliam personam pro alia carpimus siue cum lenire, siue acuere uolumus,uelut poeta;*

O rex *Atrides tua sit uoluere* Pelasgi
Inter *mortales cunctos iniuria nota.*
Nec *promissa tibi soluūt,quæ polliciti sunt.*

Q*uoniam præruptum erat & asperū dixisse; ò Achiui iniusti estis erga regem,cum illi perficere*

nolitis, quæ promisistis: orationem ad ipsum Agamemnonem transtulit. Fit *autem conuersio ubi etiam aliorum mentionem facimus, tanquã hæc facere potuerint cum his, de quibus habebimus orationem, qui tamen nõ fecerint: atq; per hæc ipsa uerba aduersarios incessimus, uelut* Demosthenes, *cum ea carpere uellet, quæ à* Media *fuerant perpetrata, res circa* Iphicratẽ *criminatur; nam &* Iphicratem *illum aliquando aiũt in* Diocls Pitthei *inimicitias maximè incidisse, atque contigisse ad hoc ut* Tisias *frater* Iphicratis *ex aduerso* Diocli *impensas suppeditaret.* Veruntamen *cum multos amicos haberet* Iphicrates, *multasq; pecunias possideret, & quæ sequuntur: non accedebat noctu ad aurificum domos, neque pallia in festum parata disrumpebat & reliqua.*

De addubitatione siue διαπορήσεως. Cap. XX.

ADDVBITATIO *est cum duas aut plures sententias uel habemus de re eadem, uel certe habere simulamus, cum non habeamus tamen, si dubij simus, ac non in illis consistamus: uelut hoc se habet; siue alio dicente, siue ipso sibi conscio non facile dixerim: quòd autem sola salus nostra & illi adesset, siue humanitatem eam ap*

pellari

pellari oporteat, siue aliud quidpiam, non facile occurrit.

De interrogatione siue ἐρωτήματος. Cap. XXI.

INTERROGATIO *est ad quam respondere opus est aut affirmationem aut negationem; & uel certè, uel nequaquam; uel in pugnã processisti, uel minimè: uelut etiam* Demosthenes, *nunquid cum hæc faceret pacem soluit, aut nequaquam? nam adhoc uel sanè respondere necesse est, uel minimè.*

De quæsito siue πύσματος. Cap. XXII.

QVAESITVM *est cui fusè & per plura respondere oportet: uelut hoc se habet; me tertij ordinis histrionẽ cuius hominis cogitationẽ suscipientem his consulere oportuit? hic enim non licet uel certè respondere, uel minimè: sed per plura huiusmodi interrogationi occurrere necesse est.*

De Conformatione siue διατυπώσεως. Cap. XXIII.

CONFORMATIO *uerò fit cum rerum siue personarum congregationem facientes non*

orationes solum, uerumetiam uires, affectusq; & formas disponimus, uelut Aeschines; per breue spatium mihi adesse sententiam, eamq; non in iudicijs, sed in theatro; atque existimate non adeuntem præconem inspicere, sed decreti electionē in Delphos quæ futura est, et deinceps: & ut inquit Demosthenes; cum in Delphos Thebas peteremus, hæc omnia intueri licebat, domos effossas, mænia deiecta, mulierculas pueros q; paucos misellos, ac senes domi custodes.

De compensatione siue ἀντεισαγωγῆς. Cap. XXIIII.

FIT compensatio cum alterum pro altero ponimus, malum scilicet pro bono, aut bonū pro malo, ut miserum patri ac matri filijs priuari, ijsq; orbatos esse maximè necessarijs, à quibus alantur seniores: iucundum est ipsis relictorum filiorum honorem memoriamq; inspicere: & rursus; suaue est uiuere, sed mori pro patria, perpetuam gloriam comparat.

De distractione siue διασυρμοῦ. Cap. XXV.

DISTRACTIO est ubi detrahētes probabiliter dicimus; ut Hyperides de Demosthene; senatum

rint suffragijs decernere: siue cum aduersarium in accusationem eorum deuocamus, quæ nobis ab ipso obijciuntur: uelut rursus Demosthenes; quid postea inquiës in te, quis recte dicere possit, qui ubi tu ades tantum negotij, bellíq; coniunctionem, quantam tu percurris, uideat? me urbe priuatum grauiter tulisti, & reliqua.

ALEXANDRI SOPHISTÆ DE FIGVRIS ELOCVTIONVM.

LIB. II.

Natale de Comitibus Veneto interprete.



ONNVMERATAE fuerunt à nobis, ac rectè explicatæ sententiarum figuræ superius, idcirco quòd natura ipsa præcedit in omni oratione sententiæ inuentio, postea oratio sequitur sentētiā, quæ ipsam omnibus patefacit: nunc uerò de orationis atque elocutionis figuris uerba faciamus, quoniam & primæ figuræ sunt, ut aliquis meritò diceret, & sublimiores hæ, quæ spectant ad elocutionem, ambitus, membrum, cæsum: nam ex his omnibus quæuis oratio componitur ac cōstituitur: quorum quid sit unum quodq; prius aperiemus. Est igitur ambitus oratio sine circumscriptione & membris, quæ perfectam sententiam monstrat in compositione, uelut hoc se habet; uir

priuatus in ciuitate populi imperio gubernata & lege imperat & suffragijs. Ambitus *uerò à circuitione, quasi quòd sententiam in circulo complectatur:membrũ pars est ambitus, quod per se ipsum dicitur, at oppositum ambitum absoluit:membrũ igitur ipsum per se est huiusmodi;uir enim priuatus.At secundum oppositũ sic membrum fit compositio; absurdum est sanè te in bonis alienis dare operam delitijs, at me in meis uel necessarijs indigere:secundum adiacens autem hoc pacto; semper et amicis benefacere pulchrum est, & ciuibus.Cæsum est quod minus membro ac ambitu: sumitur cæsum & hic,uelut hæc habent; nosce te ipsum, mensura optima,deum sequere: sumitur & ad aliud, ut iusiurandum petis?legem petis,populi imperiũ petis.* Sunt *ex ambitibus alij duorum membrorum,uelut hic; sæpius admiratus sum conciones congregantes,et gymnicos ludos constituentes: alij trium membrorum, uelut quem paulo ante dicebamus:uir enim priuatus: secundus in ciuitate populi imperio gubernata,tertius,& lege imperat.& suffragijs:fit & quatuor membrorum,ut apud* I*socratem; quis enim non esset libenter in exercitu qui ab* Athen*iensibus & lacedæmoniis gubernatur, sociorumq́; libertatis gratia coactus est,& ab uniuersa* Gr*æcia missus?considerátur quatuor membrorum ambitus*

ſine prima propoſitione, quis enim non eſſet libenter in exercitu. Componuntur ambitus & pluribus etiam membris, uerum concinnitatem exuperant, atque non etiam ambituum ſeruant rationem aut ordinem, ſed fuſarum: ſunt alij ambitus perfecti per ſe, ita ut ipſi ſententiam ſignificent; alii coniuncti, ita ut cum aliis perfectam expleant ſententiam: ſunt igitur perfecti qui ſine ulla cõiunctione proferuntur, cuiuſmodi hic eſt; ſi præco uocem ſecundum legem emittit, hãc patriæ communem exiſtimare par eſt: coniuncti ſunt qui cum coniunctionibus efferuntur, ut hic ſe habet; idem dicat & orator opus eſt & lex: nam cum aliam uocem emittit lex, aliam orator, legis æquitati ſuffragium dare conuenit, non autem dicentis impudentiæ.

De repetitione ſiue ἀναδιπλώσεως ἢ παλιλλογίας ἢ ἐπαναλήψεως. Cap. I.

HANC *figuram* Carcinus *reiterationem appellat, alii repetitionem, alii reſumptionem: efficitur autẽ ubi uerbum deinceps ponimus, ut hoc ſe habet; ſceleſta ſceleſta fera uiri Athenienſes. & rurſus ut* Xenophon*; in tumenti ob genus, inflato ob diuitias, illuſo multis ab hominibus.*

De

De relatione siue ἐπαναφορᾶς. Ca. II.

FIT *autem relatio aliquando in praecedentibus membris, ut se habent praedicta: aliquando in reliquis, ut hoc* Demosthenis; *literas docebas, ego autẽ abibam: uis, ego uolebam. fecit* Demosthenes *duplicem etiam relationem eam ipsam particulam sumens in praecedentibus membris, ac in sequentibus; ad hoc usque* Lasthenes Philippi *amicus nominabatur, donec olynthum prodidit: ad hoc usq; ;* Eudicus *ac simus* Larisaeus, *donec* Thessaliam *sub* Philippi *imperium subegerunt: nam in prioribus membris, usq; ad particula sufficit; in secũdis, donec.*

De opposita cõuersione siue ἀντιστροφῆς. Cap. III.

OPPOSITA *conuersio contrarium efficit relationi: nam sicut illa incipit ab iisdem, ita ipsa in eadem desinit, quamobrem hoc nomen cõsecuta est, cum relationem conuertat.* Dicitur *autem exemplum quoddam figurae, quoddam offendit ac factum est ut non oportebat, adest* Aeschines, *& hoc ipsum* Aeschinis; *quicunque in iudicio suffragium petit, iusiurandum petit, legem petit, populi principatum petit.*

De complexione, siue compositione. .i.συμπλόκης. Cap. IIII.

PERMISTA *est hæc figura ex relatione, & opposita conuersione, quamobrem ita nominatur.* Nam *& in membrorum principio, & in fine habet eandem dictionem, uelut* Aeschines *ad te ipsum uocas, ad leges uocas, ad populi principatum uocas.*

De cognominatione, siue συνωνυμίας. Cap. V.

COGNOMINATIO *uerò est ubi diuersis nominibus dicendo utimur, quæ tamen eandē habeant uim, cum unum atq; idem demonstrare uelimus. ut* Demosthenes; *cognoscetur profectò ab ipsis* Byzantijs, *non ignorabitur à* Thessalis *quòd uult esse dominus, non autem sociorum esse præfectus, in suspicionem uenit* Thebanorum.

De reuersione, siue ἐπανόδου. Cap. VI.

REVERSIO *est cum duo diuersa nomina ponentes nondum finem habente sententia, ad priora reuertimur, ac reliquum quod erat sen-*

tentiæ explemus. Velut Demosthenes;*cum hæc populus uideret* Oritarum,Oritarum *populus agens pro his auxiliari, hos in supplicium de-uocare,his pariter succensebat:hunc iure optimo hæc pati dicebat.Atq; sicut* Philippus *in ignauia, & ob merorem in duces populus quibus obuius esset inquiens uelle se dare tristitiã uictorum in bello laboribus,non autem certaminibus.Vsus est* Homerus *etiam hac figura, ubi* Achillem *pro* Patroclo *orante.*

Nã pater huic illud concessit,at abnuit illud.
Præbuit ut uincat duri certamina Martis,
Ex bello uictor redeat,functusq; periclis.

De gradatione,siue κλίμακος. Cap. VII.

FIT *autem gradatio ubi propositum caput ad maius producentes in singulis cæsis eãdem dictionem & principium & finem faciemus.Velut hoc se habet* Demosthenis; *sed neque dixi hæc,neq; uerò scripsi;neq; scripsi quidem, neq; legatione uerò functus sum; neq; legatione quidem functus sum,neq, uerò* Thebanis *persuasi.Fit etiam gradatio secundum cognominationem,uelut id se habet* Homericum;

Saturnoq; sato Vulcanus *tradidit illud.*
Mercurio *dedit hoc gestamẽ* Iuppiter *ipse.*

Διὶ κρονίωνι. Ioui *Saturnio.*

Mercurius

διακτόρῳ ἀργειφόντῃ, nuntio interfectori

Mercurius Pelopi domitori donat equorũ.
Ipse Pelops Atreũ regẽ quo munere donat.

Nam synonymum est quodammodo Saturnius Iuppiter, & Mercurius Argi interfector. Sumpsit autẽ nomen hæc figura à scalis, nam in ijs in quẽ gradũ finimus rursus incipimus ab eodẽ.

De perspicua declaratione, siue προδιασαφήσεως. Cap. VIII.

PERSPICVA est declaratio ubi unũ nomen completæ iam orationi infertur, quòd magis perspicuum quidpiam efficiat, uelut illud Homericum.

Nõ animo Atridæ placuit sic esse gerendũ.

Animo enim expletæ iam orationi perspicuitatis gratia infertur, quoniam is est animus, circa quem affectus, ut placeat, nascitur, ac si quis in longa oratione hæc dicat, animo cognouit.

De circumlocutione, siue περιφράσεως. Cap. IX.

VIDETVR mihi circumlocutio propria quædam esse poesis figura, siquidem multa sunt apud illos; quæ per circumlocutionẽ efferuntur; ut uis Herculea, et robur Alcinoi. Verumenimuero licet & apud Demosthenem hãc figuram

figuram reperire; uerum ita simpliciter dedecus passus est impetu iracundiæ, ac iniuriæ Me*diæ.* Fit *autem & sublimior oratio, & maiorem consequitur emphasim ex circulocutione, quàm si ita dictũ fuisset, dedecus passus est à* Media, *& uelut ea se habent* Xenophontis; *sententia nobis aliquando orta est, pro eo quod est sensimus. & uelut apud* Thucydidem; *non de quibus uos instituimus, uos disciplinã efficitis, pro eo quod est discitis:* Est *autem frequẽs hæc figura apud hunc scriptorem.*

De superabundantia, siue πλεονασμοῦ. Cap. X.

EST *autem superabundantia ubi aliqua pars in oratione adiuncta sit superabũdans, uel ornatus gratia, uel emphasis, qua etiam ablata nulla ex parte læditur sententia.* Velut *hoc se habet; magnus ipse tumultus* Græcis *profectò extitit, hic enim profectò orationi adiunctum ornatum præbuit: quod si auferatur nulla ex parte sanè offendet sententiam. rursus; ille* Callistratus *accusabatur: nam ille adiunctum emphasim quandam magnitudinis significat ad uirum pertinentis.*

De disiunctione uel solutione, siue ἀσυνδέτου ἢ διαλύσεως. Cap. XI.

CONIVNCTIONES *iuxta hanc figurã auferentes, quæ membra erant coniunctur æ, ita orationem efferimus uti hæc se habent; si similiter omnium dignitas principatum ceperit. & rursus; Amphipolim, Pydnam, Potidæam, Allonesum: nullius harum mentionem faciam.*

De detractione, siue ἐλλείψεως. Cap. XII.

FIT *autem detractio ubi complura nomina subtrahuntur, atq; nomine utimur non adiūcto: quòd autem plus concipiat quàm dicat, ita Demosthenis exemplum patefacit; siquis ex sequentibus ad sepulchrum percurrat, si hoc, atq; hoc fecisset, non esset mortuus, attonitus, erat postea nunc dicis. Concipitur enim dicere posset aliquis ad eum, uel respondere. Tum rursus; nulli curæ est, neq; meminit; deest enim hic, nullus: habet uerò hæc figuram emphasim affectus.*

De transmutatione, uel alteratione, siue ἀλλοιώσεως ἢ ἀλλαγῆς. Ca. XIII.

TRANSMVTATIO *autem uel alteratio uaria est figura, & quæ multis modis efficiatur, nam & numeros transmutamus, et casus nominum, & rursus in uerbis tempora, affectus, in nominibus quidē ita mutatur ac alteratur; uniuersa quidem Græcia erat armata*: Nam pro

Græcis

Græcis Græcia dicta est.& rursus;si enim ambitonem,dolebo solum;pro ambitioso. Et sicut Demosthenes;uniuersa postea Peloponnesus desciuerat,pro eo quod est Peloponenses. Huiusmudi figuræ est & hoc;terram arare,facta est personarũ mutatio ubi ab altero in alterũ orationem transferimus, uelut hoc se habet; neque ullus sanè nostrum bilem,aut iracundiam habere comperietur: quibus scelestus hic,& impudens uincitur,qui,ò omnium fœdißime,exclusa tibi dicendi libertate.Casuum alteratio ac mutatio ita formatur apud antiquos; alios quidẽ, qui atq; ad publica iustè peruenire contendunt, etsi dederint,loquacitatem prætendentes uideo. Nam ab accusatiuo in nominatiuum conuertitur.& Homerica; iram cane dea pernitiosam, quæ infinita. & alibi;

Dic mihi Musa uirũ prudẽtẽ,plurima q̃ iam.

Numeros ita commutarunt, ut Thucydides; facilius enim ausus est quis, quæ prius cælauerat non ad uoluptatem facere: conuersam mutationem uidentes; & Philippus, & multitudinem pauciorum uidentes fugam Libyum insectabantur. Temporum mutatio fit hoc pacto; & quod hæc uera dicamus testes uobis uidentes adducemus, pro eos qui uiderunt. Nam & efficacia & affectus, & uerba immutare consueuerunt,quod est frequẽs ἑωρακότας ὁρῶντας

 apud

apud Thucydidem. ſicuti; neq; inter ſe miſcentes, pro miſtis. & rurſus; mediterraneum regionem potius habitantes, pro eo quod eſt qui habitarunt.

De pluribus caſibus, ſiue πολυπτώτου. Cap. XIIII.

E S T *uerò polyptoton ubi, uel plura nomina, uel pronomina in pluribus caſibus omnia ſumentes orationem conteximus, uelut hoc ſe habet Xenophontis; cui plures ſunt amici, quàm Perſarum regi? quis magis familiares ſuos exornare uideatur, quàm rex? cuius uerò munera magis noſcuntur, quàm regis? atq; illud Demoſthenis; iſti enim habent, his uos obtemperatis, periculum eſt ne ab his decipiamini. Nam quis eſt qui urbem fraude decipit? an non qui ea dicit, quæ minimè ſentit? quare huic merito præco imprecaretur.*

De commutatione, ſiue μεταβολῆς. Cap. XV.

F I T *in hac figura integrarum partium traſpoſitio per ſingula uel membra, uel cæſa; ſicuti ſe habet hoc Demoſthenis; quæ nam ſocietas te agente ciuitati adiuncta eſt? quæ auxilia ex beniuolentia tua, aut ex tua gloria? quæ legatio, quæ adminiſtratio, quo ciuitas facta*

cta sit gloriosior? quæ nam ex rebus aut Græcis, aut domesticis per te melius habent? quas triremes, quæ arma instaurasti, quas nauis domos? quos murorum apparatus? aut quem equitatum? uel quid ex omnibus utile? uel quod urbanum auxilium pauperibus? aut quam nũmorum copiam?

De adnexione siue ζεύγματος. Ca. XVI.

ALIQVANDO *in hac figura per singula membra quod singulis familiare est recensemus, uelut hoc habet Isocratis; sæpius eos admiratus sum qui conciones congregarunt, & eos qui se exercentium certamina constituerunt: aliquando uerò ita membra ponimus ut hoc se habet; Alexander uicit pugnantes, in Granico quidem septem satrapas; in Nisso, Darium, in Arbelis, congregatos: possunt membra colligentia in medio etiam collocari; unde uerò cõpositio huiusmodi fieret patet, ex prædictis.*

De similiter desinente siue ὁμοιοτελεύτου. Cap. XVII.

E S T *autem similiter desinens, ubi sæpius in eandem particulam cessamus: uelut hoc habet Socratis; horum quidem laboriosam, periculorumq́;*

rumq; uitam studiosam his pugnacem naturam constituit: & illud Aeschinis; atque non infortunium reprehendo, sed morem perpendo.

De simili casu siue ὁμοιοπτώτου. Cap. XVIII.

SIMILIS *casus est, ubi idem casus sæpius in uno nomine refertur; uelut illud est Aeschinis contra Demostenem; ô hominum ad omnia quidem magna opera inutilissime, ad audaciam uerò in sermonibus admirabilissime: nam uocantis casus in utroque membro collocabatur.*

De annominatione, siue παρονομασίας. Cap. XIX.

FIT *annominatio ubi aliquod in sententiam assumptum siue nomen, siue uerbum paululum immutantes aliam promouemus sententiam: uelut se habet cuiusdam dictum ad colonū in iudicium uocatum; semper per uineas non pampinos ferunt, sed ex postulationes: & uelut hoc Demosthenis; cum res enim adhuc essent ambiguæ, futurumq; incertum, coitiones fiebant plurimæ & orationes in foro: & sicuti Thucydes; simul cum hostibus incede non cogitatione quidem, sed contemptione: atque omnino similia habent explicantes & implicantes.*

εὐ κλήματα, ἀλλ' ἐγκλήματα.

σύλλογοι καὶ λόγοι

De oppositione siue ἀντιθέσεως. Ca. XX.

PLVRI-

PLVRIBVS *modis fit oppositio, atq; uno quidem cum opposita nomina assumimus, uelut hoc se habet; magis.n. ciuitates amāt illos, qui cū æquitate sint pauperes; quàm qui sine æquitate facti sint opulēti: et; lauāt in calida aqua, at non in frigida. Secundum aliū modū, si nomina subuertantur: tu enim ò* Demades *munera à* Philippo *retulisti, ego uerò non retuli; & tu contra ciuitate epulans poculo prouocasti, ego uerò simul non bibi.* Fit *alio modo oppositio, quando oppositis omnino nominibus loquimur, resq; oppositas sumimus, aut differētes, ut apud* Demosthenem; *docebas literas? at ego abibam: perficiebas? at ego perfeceram: histrionem agebas? at ego spectabam: eras scriba? ego uerò concionem agebam: excidisti? at ego exibilabā.*

De contraria transpositione siue ἀντιμεταθέσεως, ἢ πλοκῆς. Ca. XXI.

IISDEM *dictionibus in hac figura sæpius utentes alia significamus, sicuti sunt hæc huiusmodi; suaue est homini iustè uiuere, si quis quomodo oporteat uiuere didicerit: & cuiusmodi illud est* Aeschinis; *opus est sanè* Thebas *esse* Bæotiam, *at nō* Bæotiam Thebas. Adiacet *huic figuræ ea, quæ aduersa mutatio dicta est: fiet uerò ubi in primo ac secundo ambitus membro iisdem utimur nominibus, atque quæ in principio*

cipio posuerimus in eadem desinemus: sicut Isocrates *cum adhortaretur ne inter pocula auspicarentur; quibus enim ego sum grauis, non præsens occasio: quibus nunc occasio, non ego grauis.*

De opposita contrarietate siue ἀντεναντιώσεως. Cap. XXII.

OPPOSITA *contrarietas est, cum contrarium nomen alicuius positi, illud ipsum significamus, si ita posito sit contrarium: ut; hostes habebat ipsos qui neq; dicere poterãt, neq; facere: & rursus; neq; minimorum in ciuitate, pro eo quod est, infirmißimos, & maxima: & uelut* Homericum; *quoniam ipsum non debilissimus percußit* Achiuorum, *pro generosißimo.*

De transgresione siue ὑπερβατοῦ. Cap. XXIII.

TRANSGRESSIONIS *etiam ipsius complures sunt formæ ac differentes, nam per syllabarum inuersionem, particularumq; fit, uelut se habet; leo qui taurum comederat: &* Demosthenes *contra* Aeschinem; *hic solum* Axiochi, *neq; ullum alium: & illud* Thucydidis; *in quo dixero.* Rursusq; *per compositam dictionẽ particulis in uicem separatis uelut; de me, perdis,*

κατὰ τοῦ ῥοδόδακτος.

pro

pro me deperdis. & rursus per dictionē si neq; secundum quod est deinceps, neq; secundum naturam positorum; uelut id Thucydidis; cum eorum apparatum audiuissent Corcyræi, timuerunt: erant.n.cum nullis ex Græcis fœderati, ac neq; in Atheniensium societatem, neq; in Lacedæmoniorum se ascripserant: uisum est autem illis faciendum esse, ut se conferrent ad Athenienses, eorūq; socios se uocarēt. Quod.n.hic tradi debuerat præassumptū est: quod est.n.deinceps hoc est, eorum apparatum timuerunt, uisum est illis faciendum ut se conferrent ad Athenienses, eorūq; socios se uocarent: Erant.n.cū nullis ex Græcis fœderati. Fit etiā transgreßio permulatis dictionibus inter nomina collocatis, uelut se habet hoc Demosthenis; ego autem; quoniam omnis perdita est pecunia, si quæ captionis sunt ceperitis: et quòd si nonnulli sunt dimittendi ex debitoribus, qui æquiores sunt & meliores, par esset utiq; eos dimittere, qui minimè in grauibus debuerunt; non autem illos, qui plurimū peccarunt, peßimiq; sunt meritoq; sunt rei, ac in rebus grauißimis: quid uerò fieri posset calumnia grauius, aut scelere legum contemptionis? at horum amborum hic reus est: & quòd nō opus est alijs omnibus, quod iustum est, concedere, nedum qui uiolauerit, quod ipsum fuit iniuria, hæc huiusmodi prætenbo. Nam prætenbo post longū

sane interuallum infertur.

De interpositione, siue παρεμβολῆς. Cap. XXIIII.

VIDETVR *haec figura transgreßioni esse adiuncta, ubi aliqua interponitur oratio inter compositionem, quae est secundum naturã. Differt autem ab ea, quoniam transgreßio est in particularum mutatione, sequentisq; figurae redditione: at interpositio propriam habet sententiam; atq; ubi aliquam transgreßionis partẽ abstuleris, laedis sententiam, figuramq; perdis: interpositione uerò uel tota remota non laedis sententiam. Sit autem interpositionis exemplum id, quod est apud* Herodotum; *Croesus erat genere* Lydus, *filiusq;* Alyattis, *earum nationum tyrannus, quae* Alye *flumine alluuntur, qui à meridie fluens ad uentum* Boream *inter* Scyros *&* Cappadoces *exit in mare* Euxinum: *hic igitur* Croesus. Hic *ea, quae spectãt ad fluuium interposita, nihil cum ijs habent commune, quae spectãt ad* Croesum: *poterat enim & ita constitui oratio; tyrannus autem nationum earum, quae sunt intra fluuium* Alyem, *cum esset hic* Croesus.

De adaequato, siue παρίσου. Cap. XXV.

ADEQVATVM *est ubi plura membra*

in unum redacta, maximè uel syllabas habent pares, ueruntamen numerū etiam parē in omnibus sumit, sicut prædictum se habet Isocratis; *hunc quidē laboriosam, periculorumq; studiosam uitam exhibuit, huic naturam conspicuā belloq; dignam constituit. Quod si similiter desinens sit etiam hoc exemplum, nihil nocet: quando complures orationes ex duabus, & ex pluribus figuris componuntur.*

De præoccursatione, siue προσυναναπαντήσεως. Ca. XXVI.

PRAEOC*cursatio est ubi duobus prolatis nominibus prius occursatio ad extremum facta fuerit, uelut id* Homericum;

Hic gemitusq; precesq; uirū exaudire licebat
Cædentum & morientium.

Nam quam cædentium prius traditum est precari. &; uenientibus Atheniensibus *&* Lacedæmonijs, *Lacedæmonijs quidem* Eurybade *imperante,* Atheniensibus *Themistocle.*

De increpatione quam nonnulli hypallagen uocant, siue ἐπιτιμήσεως ἢ ὑπαλλαγῆς. Cap. XXVII.

FIT *& hæc ipsa figura secundum nonnullos modos, uel enim priorem dictionem increpantes alteram assumpsimus, ut* Demosthenes; *tardè enim*

enim tardè inquam, nam heri, & nuper: uel aliquam demonstramus nominum differentiam, uelut de nimis curiosè amante, non est hoc amicitia, sed amor: uel sciungentes quod optimum est eligimus; non irascebatur profectò, sed insaniebat. tum rursus; non erat mehercle pater, at tyrannus.

F I N I S.

Ad Lectorem.

Nonnulla sunt figurarum nomina humanissime Lector, quæ quantum Latinæ uocis facultas ferret, exprimere conatus sum, uerum si qua minus placeant, ipsis nominibus Latinis reiectis græca assumito, quæ idcirco sunt apposita.